



Anta est ut omnium scientiarum practica-
rum, ita imprimis quoque Theologiae
Moralis dignitas, tantaque praestantia,
ut nesciam, qui fiat, quod tam raro, qui
Theologiae operam dant, huic eiusdem parti
in disputationum exercitiis operam im-
pendant, quodque inter multos illos viros,
qui tum sana & solida doctrina, tum sin-
gulari pietate conspicui per Dei gratiam
Academias nostras exornant, non ita
multi inveniuntur, qui in materias morales operam atque studium
suum conferant. Tantum quidem abest, ut eos, qui in defendenda
veritate Divina aduersariisq; redarguendis omne studium omnem-
que aetatem suam consumunt, improbemus, ut potius eorum ope-
ram atque industriam honorifice praedicemus summisque
ad Coelum efferamus laudibus. Neque eorum suffragari pos-
sumus ineptis, qui ex indifferentistico quodam principio
omnia ea, quae non immediate ad emendationem morum ac
pietatis praxin ducunt, contemnere atque reiicere solent. Sed
hoc tantum contendimus, materias practicas cum theticis & pole-
micis ita esse connexas, ut neque sine coniunctione sufficienter
intelligi, neque Christiani hominis officium sine utroque consiste-
re possit. Intellectus enim non tantum mysteriorum notitia imbui,
sed etiam agendorum doctrina instrui debet. Quamquam enim
vera notitia sine vera pietate, haec autem sine illa esse nequeat: Vi-
tae tamen morumque emendatio totius Theologiae finis est, o-
mniaque, quae in Theologia, quam vocant, thetica traduntur, pro-
pterea traduntur atque creduntur, ut Deum vere colere ac recte
vivere queamus. Hoc autem Theologia thetica mediate, mora-
lis immediate docet. Ac quid homini Christiano iucundius esse
potest, quam quid sibi faciendum, quid fugiendum sit, exacte
scire? quid denique gratius, quam suam aliorumque vitam ad
normam legis divinae examinare posse? Atque hoc iterum nos
doctrina Moralis docere debet. Quapropter cum ante abitum
meum ex illustri hac Academia publice disputare cuperem, non po-